



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

2. An in intellectu possit esse peccatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

potestate voluntatis non operari cum illo defectu, vel ex illo defectu, & ideo illi tribuitur defectus in actu.

XV.

Sed obicitur aliquis, Nam prius natura, quam voluntas efficiet peccatum; vel operationem defectuosam, est indifferens: & ut sic, non potest illam efficere, sed oportet quærere à quo determinetur: illa autem determinatio est origo peccati. Respondeo voluntatem, ut priorem naturam illo actu, nullo modo posse esse determinatam, quia per se ipsam non est determinata: debet ergo determinari per aliquid illi additum: nihil autem illi additur ante actum. Item quærendum est quid sit illud, si naturale, actus profecto, qui ab illa nascitur, non erit liber: si liberum, quomodo ad illam determinationem se determinavit voluntas? Negandum ergo est à voluntate per se indifferente non posse procedere actum peccati immediate, imo id vere est necessarium ad actionem liberam, & ratio est, quia ista indifferencia non est quali per negationem solam, sed per virtutem positivam ad efficiendum hoc, & illud diuisum, quæ virtus volendo efficit hoc potius, quam illud, neque prius efficit, quam velit, neque è contra.

## SECTIO II.

## An in intellectu possit esse peccatum.

I. Expedi-  
tur  
vnius  
ques-  
tionis  
sen-  
sus.

Qvæstio intelligi potest vel generaliter, de omni peccato: an videlicet peccatum sit in intellectu, vel specialiter de aliquo genere peccatorum. De primo sensu certum mihi videtur, non omnem peccati malitiam esse formaliter in intellectu: quodammodo tamè vult D. Thomas 2. 2. quæst. 74. art. 5. omne peccatum esse in intellectu, scilicet tanquam in dirigente, & mouente voluntatem ad id, quod honestum non est: vel non mouente ad id, quod est honestum: nam cum intellectus sit gubernaculum voluntatis, quando voluntas deficit, signum est intellectum male consulere, & gubernare, sicut è contra omnis virtus voluntatis, est quodammodo in intellectu, ratione prudentiæ dirigentis. Certum tamen esse debet istum defectum intellectus non esse per se culpam, neque peccatum, atque adeo, neque continere in se formaliter malitiam moralem, cuius contrarium videtur sentire Caietan<sup>o</sup> illo art. 5. contra quem faciunt ea, quæ diximus supra de malitia, & quæ statim dicam. De secundo sensu sit.

II.

Prima propositio. Quædam peccata peculiari ratione dicuntur esse in intellectu, quia ex genere suo in illo consummantur. Pater, nã hoc modo ignorantia earum rerum, quas scire tenemur, est peccatum ad intellectum pertinens, i. ad Corinth. quarto. Deus excaecauit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelij. Et idem de errore, vel hæresi. Aduertit tamen Caietanus differentiam inter ignorantiam, & errorem: ignorantia enim tantum est peccatum, quando est de his rebus quas scire tenemur, error vero voluntarius, in quibuscumque rebus censetur semper esse peccatum, quod verè videtur, licet Durand. 2. d. 39. quæst. 2. contrarium sentiat. Et patet, quia error per se est obiectum prauum, & defectus contrarius naturæ hominis, & ad nullum finem bonum referri potest: ergo non potest honeste amari. Confirmatur, quia mendacium per se malum est: ergo magis est malum iudicium falsum, ex quo fit, ut semper sit peccatum temere se exponere erroribus, vel veniale, vel mor-

tale pro qualitate materiæ: secus vero esset quãdo hoc esset opinando probabiliter, nam tunc non voluntarie erratur. vide pro hac propositione dicta in tomo de fide disp. 16. sect. 13.

Secunda propositio. Etiam malitia, & deformitas moralis istorum peccatorum, non est in intellectu, neque in actibus eius, sed tota in voluntate. Colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 74. art. 2. ad 1. tum etiam ex dictis supra de malitia, tum denique, quia operatio intellectus non est per se libera, sed subditur voluntati.

Et ex his expeditur facile dubium, quod Caietanus 1. 2. quæst. 76. articulo. 1. mouet; an ignorantia vincibilis per se sit peccatum, vel ratione negligentie, in quo ipse affirmat esse ratione negligentie. Durand. etiam 2. d. 22. quæstione tertia: dicit expeditum asserit. Alij vero Thomistæ volunt potius ignorantiam præcepto contrariam esse per se malam, negligentiam vero ratione ignorantie esse malam. Sed si considerentur dicta supra de malitia formalis, & obiectiua, cessat controuersia, ignorantia enim præcepto contraria est per se mala obiectiue, sicut omnis omisio actus præcepti: tamen formaliter, & in exercitio ipsum ignorare est malum ratione voluntatis, vel directe, vel indirecte: & hæc indirecta voluntas per negligentiam explicatur, & ita dixit Augustinus 3. de libero arbitrio capite vigesimo quarto, ignorantiam ex negligentia fieri vitiosam. Et hinc sequitur eum, qui longo tempore ignorat ea, quæ scire tenetur, non semper continue peccare quandiu in ignorantia permanet, sed toties ex ignorantia peccat, quoties voluntarie ignorare vult formaliter, vel virtualiter, id est, cum se illi offert occasio sciendi, & aduertit, vel facile potest aduertere se teneri, & posse, & tamen negligit.

Sed dubitat Caietanus supra ad quodnam vitium spectet hoc peccatum. Respondeo pertinere ad illud, quod contrarium est illi virtuti, ex qua oritur obligatio sciendi, vel vitandi errorem, vnde si ignorantia sit in rebus fidei, pertinet ad vitium fidei contrarium, quod non solum est in intellectu, sed potissimum in voluntate, & repugnat vel voluntati credendi, vel sciendi res fidei: si vero ignorantia sit de rebus, quæ ad ius naturale, vel positium spectant, in genere pertinet ad contrarium vitium studioſitatis, de qua Diuus Thomas 2. 2. quæst. 166. & 167. in specie vero pertinere potest ad multas fortasse virtutes.

## SECTIO III.

An veniale, vel mortale peccatum tribuendum sit rationi inferiori, vel superiori.

Hæc quæstio præcipue ponitur propter explicandum Diuum Thomam 1. 2. q. 74. art. 6. 9. & 10. & supra quæstione 15. art. 4. qui quæstionem hanc mouet propter Augustinum 12. de Trinitate cap. 12. Aduertendum est rationem inferiorem, & superiorem apud Theologos inter eundem significare partem rationalem, & sensualem, sed non accipitur hic illo modo: sed de sensualitate statim dicemus: proprie ergo ipsa rationalis pars diuisa fuit ab Augustino in inferiorem, & superiorem, & habet locum tam in ratione practica, quam in speculatiua, & variis modis exponitur, ut videre est apud D. Thomam 1. p. quæst. 76. art. 9. & Caietanum 3. p. quæst. 76. art. 7. Scotum 3. d. 15. & alios Doctores in 2. d. 24.

Dico